



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

87. An Regulares possint excipere confessiones famuloru[m] actu  
servientium, & commorantium in eorum Monasteriis absque Epsicopi  
approbatione? Et notatur dictos Confessarios absolvere posse supra ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

quoniam Papa concedentis intentio, conformis est imperantis intentioni, si abest dolus malus. Quod autem ea fuerit Pontificis intentio, ut ubique profectus, constat ex eo, quod iam antea concedente Eugenio IV. senel in vna Diocesi presentatus, ad eam rediens, liber erat ab iterata presentatione: Imò etiam idem Eugenius concedit eam facultatem eisdem Minoribus, ut habetur citato Compendio, his verbis: Concessit confessariis Fratrum Minorum, quod quando non possunt commodè se presentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, & non possunt petere casus Episcopales, eo casu possint vti plenariè auctoritate Episcopali. Ergo Clemens VIII. aliquid superaddidit, alioquin illud priuilegium nihil operaretur. Superaddidit ergo extensionem admissio- nis ad omnes Dioceses. Accedit, quod priuilegium Principis absolute concessum non debet restringi; sed late, ut verba sonant, interpretari, ut sapius diximus: ergo cum verba prefate Constitutionis absolute pronuntiantur, suntque vniuersalia absolute, & vniuersaliter per respectum ad omnes Dioceses sunt intelligenda.

2. Nec hoc est contra Tridentinum vbi viget, quoniam decernit dumtaxat, quod Confessarius approbatus ab Episcopo: quod cum sit onus, & odiosum, debet restringi quantum fieri potest, & de vna sola approbatione intelligi. Responso hæc confirmatur: quoniam si Episcopi in Tridentino congregati voluissent subicere Regulares pluribus approbationibus, illud sine dubio expressis terminis pronuntiauerunt, cum de illorum iure ageretur: quod cum non fecerint, aduersus eisdem est interpretatio faciendâ iuxta Regulam iuris in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio faciendâ. Adiunge præmissis, quod Tridentinum non requirit absolute approbationem Episcopi, sed ut quis sit Parochus, aut alias idoneus iudicetur: Vnde sicut multi graues Doctores existimant, approbationem Parochi, aut vniuersitatis sufficere; quidni etiam vnus Episcopi approbatio, seu admissio pro omnibus Diocesis? Nec obicitur, illud verbum, iudicetur, ad Episcopi iudicium referendum cum multi ad iudicium aliorum illud referant, ac proinde sit res dubia; quæ cum sit in iuris antiqui odium, iuxta illud interpretanda est, ac ex consequenti in fauorem Regularis, cum illud ius in fauorem illius conditum sit, ut iudicium in hoc feratur conformiter ad Regulam 30. iuris citati: videlicet, In obscuris minimum est sequendum, id est, quod in obscuris, & dubiis iuxta Glossam, quæ ad hoc duo exempla ponit, minima obligatio est sequenda: cum autem magis obliget Regularem quod ipsius idoneitas debeat ab omnibus Episcopis iudicari, idem minor obligatio, ad illam iudicandam, est pro illa sequenda; ac proinde, quod sufficiat vnus Episcopi iudicium.

3. Nec opponas secundò, quod dicitur in Tridentino, videlicet Approbationem debere fieri ab Episcopis, quoniam per hoc nihil aliud intendit, nisi quod vnus ab vno, & alius ab alio Episcopo approbetur; non autem quod vnus approbetur à multis.

4. Non obicitur tertio, Declarationes Cardinalium in contrarium huius veritatis; quoniam præter quod in hac materia inter se vix conciliari possunt, cum pugnare videantur, sunt tantum sententiæ Doctorum, non habentes vim legis, ac sic non possunt leges priuatas tollere; quocirca standum iuri antiquo, & verbis Tridentini iuxta illud ius interpretari, & priuilegiis à Sede Apostolica concessis, quæ sic ut supra decernunt. Et huius sententiæ sunt

Tom. VII.

Cellotius de Regular. in Hierarch. inuisit. lib. 5. cap. 25. cum multis aliis quos refert Diana part. 2. tractat. 4. de Sacram. resolutione 110. Huculique Pater Bruno.

5. Sed ego Cellotium alibi satis impugnavi, & ideò sententiam Bruni puto non esse admittendam, quia ut optime & late obseruat Suarez tom. 4. disput. 28. sect. 6. & acriter Valquez quest. 93. art. 3. dub. 4. reducit approbationem requisitam à Concilio ad meram ceremoniam, si sufficiat pro toto mundo approbatio vnus Episcopi, quicumque ille sit, & quilibet Episcopus posset omnes Sacerdotes totius mundi approbare. Vnde apponam hic verba Eminentissimi Domini mei Cardinalis Lugo de Pœnitent. disputat. 21. sect. 2. num. 29. vbi sic ait: Cæterum quicquid sit de huius sententiæ probabilitate tempore præterito, nunc iam non videtur posse vllum habere locum post decretum Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. editum anno 1628. quo reuocauit omnia priuilegia, & licentias audiendi confessiones sine approbatione ab Episcopis Diocesanis, & absque examine facto ab Ordinario; & si quæ erant priuilegia contraria cuiuslibet Ordinis, vel Congregationis omnino abstulit. Huc vsque Cardinalis Lugo. Et ideò sententia Bruni hodie tamquam probabilis minimè potest sustineri, non solum propter dictum Decretum Urbani VIII. à Lugo alatum, & à nostro Patre Peregrino in Compend. Priuileg. ver. Absolutio quoad seculares, §. 1. in scholio, in quo apponitur clausula, Non obstante quouis indulto à sede Apostolica concesso; sed propter nouissimum Breue Sanctissimi Domini nostri Innocentij X. in causa Angelopolitana Iurisdictionis, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 14. Maij 1648. & postea confirmatum die 27. Maij anno 1653. & intinatum Reuerendissimo Generali Societatis Iesv. Vnde ex Responso noua supradicti Breuis, apparet opinionem quam supra Pater Bruno tanquam probabilem docuit, non posse hodie amplius sustineri, est enim contra Decreta duorum summorum Pontificum Urbani VIII. & Innocentij X.

Quæ nunc est in co. r. R. 12. & Alibi signa. ter in R. 2. not. 1. huius Ref.

RESOL. LXXXVII.

An Prelati Regularium possint sine approbatione Ordinarij audire secularium confessiones?

Et an Sacerdotes simplices sine licentia, & approbatione Episcopi possint absolueri non solum peccata venialia, & mortalia alias rite confessâ, sed etiam peccata mortalia in confessione oblita?

Et an Equites Dini Ioannis, Dini Iacobi, Alcantare, Calatrauz, &c. vtpote veri Religiosi possint peccata confiteri cum simplici Sacerdote non approbato ab Episcopo? Ex part. 2. tract. 16. & Milc. 2. Ref. 44. alias 46.

§. 1. \* **N**egatiuam sententiam, & meritò tenet Suarez in 3. part. tom. 4. disput. 28. sect. 4. numero 21. Rodriguez in Bulla Cruc. §. 9. dub. 1. m. 4. & alij.

2. Sed hic non reticeam contrarium docere Henriquez lib. de indulgentiis cap. 12. numero 3. in glossa littera R. vbi citat Mancium, Gallum, Medinam, & Bañez. Id etiam docet nouissime, contra Suarez, Ioannes Valernus in differentiis vniuersitatis, ver. multitas, diff. 5. numero 3. vbi asserit, Prælatos Religionum, vt sunt Priores, Guardiani, Ministri, & similes, licet non habeant approbationem, &

\* Sup. hoc supra in Ref. 69 §. Tertius, & infra in R. 33. §. 2. & signatæ 3. & in tom. I. r. 3. R. 24. §. 1. & in tom. 3. r. 1. Ref. 39. §. Quintus casus, &c.

licentiam ab Episcopis, posse nihilominus audire confessiones secularium, quia quamvis strictè non habeant beneficium parochiale, largo tamen modo dicuntur ipsam habere, quia habent curam animarum, & sunt communiter probatores, & digniores, tam literis, quam moribus, plerisque secularibus habentibus curata, & consequenter per eos sufficienter satisfi menti Concilij Tridentini. Ita Valerius, qui etiam *ibid.* paulò post docet Sacerdotes simplices, sine licentia, & approbatione Episcopi posse absolueri non solum peccata venialia, & mortalia, aliàs ritè confessã, sed etiam peccata mortalia in confessione oblita, & hæc sunt eius verba. Ego puto probabile, peccata oblita (cum iam sint indirectè absoluta in prima confessione,) posse postea absolui à quocumque etiam non exposito, seu approbato. Sic Valerius, sed an probabiliter iudicent alij; sicut de alia opinione Ioannis Sanctij in *selectis, disp. 49. à n. 11. usque ad 14.* vbi acutè & solidè probat Equites D. Ioannis, D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatravæ, utpotè verè Religiosos (vt nos alibi satis probauimus) posse peccata confiteri cum simplici Sacerdote, non approbato ab Episcopo.

Sup. hoc in tom. 3. r. 1. ex Ref. 35. §. 2. & c.

Sup. hæc mortalia oblita in to. 1. r. 4. ex iactissima doctrina Ref. to. à § vlt. Albi signanter in Ref. que nunc est in tom. 9. r. 2. Ref. 162 in fine, & hic infra in Ref. 100. & c.

RESOL. LXXXVIII.

An Regulares possint excipere confessiones famulorum actu seruientium, & commorantium in eorum Monasteriis, absque Episcopi approbatione?

Et notatur dictos Confessarios absolueri posse supradictos famulos à casibus locorum ordinariis reservatis.

Et etiam queritur, à quo sit puniendus Regularis, excipiens secularium confessiones absque approbatione Episcopi?

Et an Regulares possint ministrare Sacramentum Extreme-Vnctionis secularibus ratione hospitij sine aliqua alia occasione in Monasterio ipsorum infirmantibus ad mortem?

Et notatur posse Regulares ministrare Eucharistiam in Paschate, & Viaticum in articulo mortis familiaribus, & seruitoribus commorantibus in Monasterio, vel si sint coniugati, & dormiunt nocte extra Conuentum. Ex p. 9. r. 9. & Misc. 4. Ref. 36.

Sup. hoc in Ref. seq. & supra in Ref. 69. §. Quod autem, post medium, à ver. Primum posse. & §. Quoad illa, & infra in Ref. 238. §. 2. per totum, & in tom. 1. r. 3. Ref. 24. §. Quæro octauo. & in to. 2. r. 2. Ref. 21. cursum in §. penult.

§. 1. Affirmatiuè respondet Bordonus in *Constit. Regul. tom. 2. ref. 34. n. 41. & tom. 2. ref. 75. n. 84.* Tamburinus de *Iure Abbatum, tom. 2. disp. 6. §. 6. n. 4.* Peyrinus *tom. 1. Constit. 1. Iulij 11. n. 12.*

2. Verum ego adhaereo negativæ sententiæ, quam tuetur Rodriguez *tom. 2. §. 67. art. 1. & Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 18.* Quibus adde Mancinum de *visit. infirm. pract. 3. dub. 14.* Pellizat. in *Man. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 4. sect. 2. num. 55.* & Lezanam in *summa tom. 2. cap. 16. num. 16.* Constat enim ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15.* nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, &c. idoneus iudicetur. Deinde Urbanus VIII. in Bulla, quæ incipit, *Cum sicut accepimus;* & refertur in Bullario *tom. 4. Bull. 92.* reuocat omnia priuilegia aliàs concessa, quoad audiendas confessiones secularium personarum, sine examine, & approbatione Ordinarij.

3. Dicere autem cum Peyrino, & aliis, quod Patres Concilij Tridentini, & Urbanus VIII. loquuntur de confessionibus secularium extraneorum (quales sunt etiam mortuæ, qui Monasteriis inferuiunt, sed in iis non viuunt, neque dormiunt; & teste Rodriguez *tom. 2. quest. 67. art. 1.* dicuntur familiares lato modo)

non autem de confessionibus famulorum, qui sunt continui commensales, qui scilicet ordinariè viuunt in Monasteriis, ibique comedunt, bibunt, & dormiunt, hoc inquam dicere, est mera fuga, & gratis dicitur: nam Concilium, & Urbanus absolute, genericè, & sine vlla distinctione loquuntur; ergo eorum verba secundum regulas iuris absolute, & sine vlla limitatione intelligenda sunt.

4. Sed si aliquis quærat hinc quomodo, & à quo sit puniendus Regularis excipiens secularium confessiones absque approbatione Episcopi. De hoc dubio nouissimè extat declaratio Sacræ Congregationis tenoris sequentis. Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini. Queritur ab Eminentissimis Vestris, quæ ratio, & à quo sit puniendus Sacerdos Regularis, qui absque præsentia Archiepiscopi, seu Episcopi approbatione confessiones personarum secularium audit: Die 14. April. 1646. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit: Punientum esse ab eodem Archiepiscopo, seu Episcopo poenitentiam, etiam censuram. Petrus Aloyus Cardinalis Carafæ. Franciscus Paulinus S. C. C. Secret.

5. Nota etiam hic, quod Bordonus, & Peyrinus locis citatis tenent, dictos Confessarios absolueri posse prædictos familiares à casibus locorum Ordinariis reservatis. Sed go contrarium teneo cum Patre Lezana, vbi *supra à n. 17.*

6. Sed hic obiter quæro, an Regulares possint ministrare Sacramentum Extreme-Vnctionis secularibus occasione hospitij intra Monasteria ipsorum infirmantibus ad mortem? Affirmatiuè responder. Pellizarius in *Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 4. num. 326.* Idque ait ille, absque licentia Episcopi, & aut Parochi; & hoc ex indulto concessio PP. Benedictinis, & relato in Compen. Soc. *verb. Extrema Vnctio*, his verbis: *Postulanti nostris iis, qui intra septa Collegiorum, seu domorum infirmati fuerint, Extreme-Vnctionem Apostolica auctoritate liberè Parochialis Presbyteri, aut alterius cuiuscumque Episcopi, vel Superioris licentia, vel assensu nullatenus requisito ministrare.* Ita Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 16.* qui bene notat, ad vsum talis indulti, nullam familiaritatem requiri, sed sufficere, vt quis ægrotet intra Monasterium; siue id contingat ratione hospitij, siue aliqua alia occasione (studiorum v.g.) Aduertit autem Miranda *part. 1. Manual. quest. 49. art. 1.* eiusmodi indultum fuisse concessum à Nicolao Franco Apostolicæ Sedis Legato de Latere, coque posse frui etiam alios Regulares per viam communicationis, & quidem etiam in præsentia. Sed vt optime obseruat Lezana *vbi supra num. 20.* dubitari potest, an tale indultum inter *viua vocis oracula* recensendum sit, & per consequens his temporibus inutile. Notandum est etiam cum DD. quos affert, & sequitur Leandrus de *Sacrament. tom. 2. tract. 7. disp. 3. quest. 1.* posse etiam Regulares ministrare Eucharistiam in Paschate, & Viaticum in articulo mortis familiaribus, & seruitoribus commorantibus in Monasterio, vel si sint coniugati, & dormiant nocte extra Conuentum, quia hæc etiam commensales sunt continui.

RESOL. LXXXIX.

An Religiosi B. Ioannis à Deo, vulgo dicti Bonfratelli, vel alij Regulares, si priuilegia Mendicantium participant, possint excipere in suis Hospitalibus confessiones infirmorum sine Ordinarij approbatione? Et cursum inferitur, quod in Religione quoruncumque Regularium Sacramentum poenitentia administrari poenitentibus